

PETRUS ARCHIDIACONUS.

QUÆSTIONES IN DANIELEM PROPHETAM A PETRO ARCHIDIACONO ENODATÆ.

(Ex Marten., ampl. C. Illect.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Inter varias Caroli Magni curas, spectanda est in primis summa ejus in restaurandis sacrarum litterarum studiis diligentia. Ratus enim tunc præsertim imperia florescere, cum viri in eis virtute ac doctrina præstantes claruerint, nihil prætermisit omnino, quominus eruditos undequaque viros accerseret quorum ope liberales in suis regnis artes, disciplinas scientiasque omnes resuscitaret. Nervos vero omnes contendit, ut pene emortuum sacrarum Scripturarum studium apud suos excitaret. Id quidem ipse testatur in præfatione ad Homiliarium Pauli diaconi Casinensis monachi ejus jussu elaboratum. «Quia, inquit, curæ nobis est ut Ecclesiarum nostrarum ad mellora semper proficiat status, oblitteratam pene majorum nostrorum desidia reparare vigilantia studio litterarum satagimus officium, et ad pernoscenda sacrarum librorum studia, nostro etiam quo possumus invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos Veteris ac Novi Testamenti libros, librariorum incuria depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examassim correximus. » Quapropter haudquaquam mirum videri debet, si sequentes in Daniele Quæstiones, quas hic ex pervetusto codice Stabulensis monasterii proferimus, ex authentico Petri archidiaconi transcribi curaverit religiosissimus princeps. Quis autem exstiterit Petrus ille archidiaconus, necdum divinare potuimus, nisi forte sit ille Petrus diaconus, quo interlocutore sanctus Gregorius suos Dialogorum libros composuit. Eruditorum hac de re judicium exspectamus.

INCIPIŦ LIBER

DE DIVERSIS QUÆSTIUNCULIS

CUM RESPONSIONIBUS SUI.

QUEM JUSSIT DOMNUS REX CAROLUS TRANSCRIBERE EX AUTHENTIGO PETRI ARCHIDIACONI.

1. Quæ sunt illa regna quæ in visione sua vidit Nabochodonosor rex (*Dan.* 11, 31)?

In capite statuæ regnum Babylonium designatur, et post illud Medorum atque Persarum, quod argenti habet similitudinem, et regnum tertium Alexandrum significat regnum Macedonum successorumque Alexandri, quod æris habet similitudinem. Regnum quartum perspicue pertinet ad Romanos; ferreum est, quod comminuit et domat omnia. Sed pedes ejus et digiti ex parte ferrei, ex parte sunt stiles, quod hoc tempore manifestissime comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius et durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius.

A 2. Quæritur si Danihel et Ananias et Misabel et Azarias fuerunt eunuchi, an non?

Eunuchi videntur, juxta illud quod legimus: *Ait rex Asphanex præposito eunuchorum suorum, ut introduceret de filiis Israel et de semine regio et tyrannorum pueros in quibus nulla esset macula* (*Dan.* 1, 3), et juxta id quod Esaias dixerat Ezechia: *Et de semine tollent et facient eunuchos in domo regis* (*Isa.* xxxix, 7). Sed cum occurrit illud: *In quibus nulla esset macula, non eos fuisse eunuchos invenimus.*

3. Si sapientiam et doctrinam Babyloniorum peccatum est discere, cur Danihel didicit quod non licebat?

Si Danihel sciret sapientiam Chaldæorum esse peccatum, nunquam acquiesceret discere quod non licebat, sicut nolebat comedere de mensa regis, neque bibere de vino ejus ne pollueretur (*Dan.* 1, 8). Nam et Moyses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat.

4. Quæritur si Danihel cum tribus poeris cum sapientiam didicit quam Græcorum eruditio pollicetur, an non?

Non, sed doctrinam gentis barbaræ, qua usque hodie Chaldæi philosophantur.

5. Quid est quod legitur in anno secundo regni Nabochodonosor, vidit Nabochodonosor somnium (*Dan.* 11, 1). Si post tres annos pueri ingressi sunt in conspectu ejus, ut ipse præceperat, quomodo secundo anno regni sui somnium vidisse narratur?

Secundum hic annum dicit regni ejus omnium gentium barbararum, non Judæorum tantum et Chaldæorum, sed Assyriorum, et Ægyptiorum, et Moabitum, et reliquarum nationum quas Domino cedente superaverat. Unde et Josephus ait: post annum secundum Ægyptiæ vastitatis, rex Nabochodonosor vidit mirabile somnium.

6. Quid est quod Nabochodonosor tanti mysterii meruerit cernere somnium? Nunquid credere possumus hominis pessimi hoc meritum obtinuisse?

Non merito vidit; sed ut interpretante sancto quod viderat, Deus glorificaretur. Sic nec Pharaon videre meruit, sed ut Joseph cunctis esset præpositus.

7. * Arioli, id est incantatores, incantatores sunt A homines instar brutorum animantium in agris vivere qui rem verbis peragunt; magi, qui de singulis phisophantur; malefici, qui sanguine utuntur.

8. Quid est quod dixit Nabochodonosor; *vidi somnium et mente confusus ignoro quid viderim* (Dan. 1, 3), dum postea referente Daniehe ea se vidisse testatus est quæ dixerat Danihel?

Umbra quædam, et, ut ita dicam, aura somnii atque vestigium remansit in corde regis, ut referentibus aliis posset reminisci eorum quæ viderat, ut nequaquam eum deciperent mentientes. Huc usque quæ lecta sunt sermone narrantur Hebræo; ab hoc loco usque ad visionem anni tertii regis Baltasar, quam Danihel vidit in Susis Hebraicis quidem litteris, sed lingua scribuntur Chaldaica, quam hic Syriacam vocat.

9. Quid est quod legimus: Et præco clamabat valenter: *Vobis dicitur populus, tribubus et linguis, in hora qua audieritis sonitum tubæ, et fatolæ, et chitharæ; sambucæ et psalterii et simphonæ, et universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam erexit Nabochodonosor rex. Si quis autem non ceciderit et adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentem* (Dan. 111, 4). Nunquid potuerunt omnes populi universarum nationum in campo Duram congregari loco modico? quem locum Theodosio pro Dura Deira, Simmachus Doraum, LXX Periboan transtulerunt, et interpretatur vivarium vel conclusus locus.

Non quod omnes populi in campo Duram potuerint congregari et adorare auream statuam, sed quod in principibus cunctarum gentium omnes gentes et populi adorasse credantur.

10. Quid per statuam auream intelligendum est, quam fecit Nabochodonosor rex (Dan. 111, 4)?

Per regem illum et per statuam intellegimus omnes hæreticos, qui fulgore eloquentiæ secularis falsum dogma componunt.

11. Quid est naphtha (Dan. 111, 46)?

Ossa olivarum quæ projiciuntur, amurea arefacta, et naphtha Græce dicitur *pyrni* ab eo quod ignem nutriat.

12. Quas provincias tenuit Nabuchodonosor rex? Orientis, Asiam, Europam et Libiam.

13. Quomodo homini sine mente per septem annos imperium reservatum sit, regnumque potentissimum absque rege tanto tempore fuerit (Dan. 1v, 30)? aut si alius illi successit in regno, cujus recordiæ æstimandum sit ut cederet imperio, quod tanto tempore possidebat; præsertim cum historiæ Chaldæorum nihil tale contineant, nec potuisse fieri ut qui de minoribus scripserunt, majora reticuisent.

Quidam, dum hoc in historiis non inveniunt, per Nabochodonosor diabolum intelligere volunt, quod non est recipiendum: quis enim nesciat amentes

* Hic deest una interrogatio, forte: *Quid differunt arioli, magi et malefici?*

^b *Orosium* supra in ms. antiqua manu, forte eadem.

locisque silvestribus? Quid mirum si ad ostendendam Dei potentiam et humiliandam regum superbiam hoc Dei iudicium sit paratum? Nam et multo incredibilia et Græcæ et Romanæ historiæ accidisse hominibus prodiderunt. Scyllam quoque, et chimeram, hydram, adque centauros aves et feras facta ex homine narrant fabulæ.

14. Quare Danihel, quem Dei cultorem legimus, scribitur princeps ariolorum omnium, sicut scriptum est *Baldasar*, inquit, *princeps ariolorum, quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te* (Dan. 1v, 6).

Non mirum, si princeps ariolorum omnium constitutus sit, qui ad præceptum regis sapientiam didicerat Chaldæorum, et decuplum omnibus sapientior fuerat inventus.

15. Si prædixit Danihel sententiam Dei quæ non potest immutari (Dan. 1v, 28) quomodo hortatur ad eleemosynas et misericordiam pauperum, ut Dei sententia commutetur?

Facile solvitur Ezechie regis exemplo, quem Esaias dixerat esse moriturum (Jsa. xxxviii, 1) et Nenivitarum; adhuc tres dies et Nenive subvertetur (Jon. 111, 4); et tamen ad preces Ezechie et Nenivitarum Dei sententia commutata est, non vanitate iudicii, sed eorum conversione.

16. Quis ille Baldasar de quo scriptum est: *Baldasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille* (Dan. v, 1)?

Sciendum est non hunc filium Nabochodonosor, ut multi legentes arbitrantur; sed juxta ^b Abherosum, qui Caldæam scripsit historiam, et Josephum, qui Berosum sequitur, post Nabochodonosor qui regnavit annis XLIII successit in regno ejus Evilmerodach, qui in primo anno regni sui levavit caput Joachim regis Juda de carcere. Post mortem vero Evilmerodach in regno patris successit filius ejus Neglisar, post quem rursus filius ejus Laborsordoc, quo mortuo Baldasar filius ejus regnum tenuit, qui a Dario rege Medorum interfectus est, qui Darius Cyri regis Persarum avunculus fuit.

17. Cur ergo patrem Baldasaris Nabochodonosor vocat (Dan. v, 2)?

Non faciat errorem scientibus sanctæ Scripturæ consuetudinem, qua patres omnes proavi et majores vocantur.

18. Quæritur cur legatur, purpura vestietur et torquem auream habeat in collo? cur torquem feminino genere translator protulerit?

Exemplo doctus fecit. Nam Cicero in Mario torquem genere feminino posuit, sed Titus Libius masculino dixit.

19. Quæ fuit illa regina quæ ingressa est ad Baldasar, audito quod viderat (Dan. v, 10)?

Hanc Josephus aviam Baldasaris scribit ^c, Origenes matrem.

^c Hanc quidem Baltasaris aviam fuisse scribit Josephus lib. x Antiquitatum Judaicarum cap. 10. At vero Origenis opus nullum in Daniele habemus.

20. Cur articuli scribentis manus contra candelabrum apparuisse scribuntur (*Dan. v, 5*)?

Ut longius non apparerent.

21. Interfecto Baldasar, obsessaque Babylone a Medis et Persis, Dario videlicet et Cyro, cur Darius solus successit in regnum, et non cum eo Cyrus, qui pariter cum eo regnum cœpit Babylonium (*Dan. v, 30*)?

Ordo ætatis et propinquitatis et regni est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat, et majus regnum Medorum quam Persarum legimus, et avunculus qui prior erat jure naturali, successor regni debuit numerari. Sciendum est quæ fuerit illa scriptura quam scripserunt articuli, *Mane, Thecel, Phares. Mane numeravit Deus regnum tuum et complevit illud; Thecel, appensum est in statera et inventum est minus habens; Phares, divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis (Dan. v, 25).*

22. Quid est quod legitur: porro rex cogitabat constituere Danihelem super omne regnum, unde principes et sadrappæ quærebant occasionem, ut invenirent Daniheli ex latere regis (*Dan. ix, 5*). Quid est, ut invenirent Daniheli ex latere regis?

Latus regis regina est, vel concubinae ejus, cæteraque uxores quæ a latere dormiunt; quærebant ergo occasionem in rebus hujuscemodi; si in sermone, tactu, nutu, possent accusare Danihelem, sed nullam causam et suspicionem reperire potuerunt, quia eunuchus erat.

23. Quid est quod legimus, tribus temporibus in die flectebat genua sua Danihel (*Dan. vi, 10*)? Quæ sunt tempora quæ hic ostendit?

Tria autem tempora quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam horam et sextam et nonam ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit super apostolos Spiritus sanctus, sexta volens Petrus comedere ascendit coenaculum, nona Petrus et Johannes pergebant ad templum.

24. Quid est quod legimus: Fuit Danihel usque ad annum primum Cyri regis (*Dan. i, 21*), cum alibi scriptum sit, anno tertio Cyri regis Persarum verbum revelatum est Daniheli cognomento Baldasar (*Dan. x, 1*)?

Hoc significatur quod usque ad primum annum Cyri regis qui Chaldaeorum destruxit imperium, Danihel potens fuerit in Chaldaea, postea vero a Dario in Medos translatus sit.

25. Quid est quod dicit Danihel: Videbam in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, et quatuor bestiae grandes ascendebant de mari diversæ inter se (*Dan. vii, 2*)?

Quatuor venti cæli quatuor sunt angelicæ potestates, quibus principalia regna commissa sunt; mare autem mundum istum sæculumque significat, falsis amarisque fluctibus redundantem; quatuor bestiae

A magnæ quatuor regna, inquit angelus, ascendent de terra.

26. Et quid est quod legimus: Prima quasi leæna et alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei (*Dan. vii, 4*)?

Regnum Babylonium propter sævitiam et crudelitatem, sive propter luxuriam et vitam libidini servientem, non leo sed leænæ appellatur.

27. Et quare non leonis specie sed leænæ regnum visum sit potentissimum?

Quia dicunt hi qui bestiarum scripsere naturam, leænæ esse ferociores, maxime si catulos nutriant, et semper gestire ad coitum.

28. Et quid est quod alas aquilæ habere scribitur? Superbiam significat regni potentissimi, cujus princeps loquitur per Isaiam: *Super sidera cæli ponam thronum meum, ero similis Altissimo (Isai. xiv, 13).*

29. Et quare alas aquilæ et non alterius avis habere dicitur?

Quia aquila multo vivit tempore, et regnum Assyriorum multis fuit ætatibus dominatum.

30. Quid intelligendum est per id quod dicitur: *Evulsæ sunt alæ ejus?*

Cætera regna significat quibus prius imperabat, et volitabat in mundo.

31. Quid est quod dicitur: *Et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei (Dan. vii, 4)?*

C Nabochodonosor potest intelligi, qui postquam perdidit regnum, et gloria ejus ablata est, rursus in pristino gradu restitutus sit, et non leenam sed hominem se esse didicerit, et cor receperit quod amisserat. Potest et aliter intelligi de regno Chaldaeorum, quod interfecto Baldasar, Medis Persisque in imperio succedentibus, Babylonii homines humilis fragilisque naturæ se esse intellexerint (*Dan. iv, 31*).

32. Quid est quod legitur: *Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas (Dan. vii, 5)?*

Bestia secunda urso similis, ipsa est de qua in visione statuæ legimus, pectus ejus et brachia de argento, ob duritiam et ferocitatem urso comparatur: in parte vero una stetit, quia sic dicunt Hebræi, nihil eos adversum Israel crudele gessisse, unde et in Zacharia equi albi appellantur (*Zach. vi, 3*).

33, 34. Quid per tres ordines qui erant in ore ejus et in dentibus?

Quidam sic interpretatus est, ut regnum Persarum in tres principes diceret fuisse divisum, sicut legimus de tribus principibus, qui cxx sadrapis præerant: sed tres ordines in ore regis Persarum et in dentibus ejus, tria regna debemus accipere. Babyloniorum, Medorum, atque Persarum, quæ in unum redacta sunt.

35. Unde dictum est ei surge, comede carnes plurimas?

Illud tempus significat, quando sub Assuero quem **A** LXX Artaxerxes vocant, ad suggestionem Aman una die omnes Judæi jussi sunt trucidari.

36. Quid est quod legitur : *Post hoc aspiciebam, et ecce alia quasi pardus, et alas habebat quatuor super se, et quatuor capita erant in bestia, et potestas data est ei (Dan. vii, 6) ?*

Tertium regnum Macedonum, de quo et in statua legimus *venter et femora ejus ex ære (Dan. ii, 32)*, pardo, bestię velocissimę, comparatur, quę præceps fertur ad sanguinem et saltu in mortem ruit. Per quatuor alas victoria signatur Alexandri, qua nihil velocius fuit : qui ab Illyrico et Adriatico mari usque ad Indicum oceanum et Gangem fluvium, non tam præliis quam victoriis percucurrit, et sex annis Europę partem et omnem sibi Asiam subjugavit.

37. Quid per quatuor capita ?

Eisdem dicit duces ejus, qui postea successores regni exstiterunt, Ptolomeum, Seleucum, Philippum, Antigonum.

38. Quid *Et potestas quę data est ei ?*

Ostenditur non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse.

39. Quid est quod dicit : *Post hæc aspiciebam in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, et fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans (Dan. vii, 7) ?*

Quarta imperium Romanorum est, de quo in statua dicitur, *tibię ejus ferreę (Ibid. ii, 33)*.

40. Quid est quod superius tria regna bestiis comparavit, id est lænæ, urso et pardo ; Romanorum regnum nulli bestię comparavit ?

Quia ut formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quicquid formidolosius cogitaveramus in bestiis, hoc Romanos intelligamus ; sed Hebręi quod tacitum hic est, in Psalmo dictum putant : *Vastavit eam aper de silva et singularis ferus depastus est eam (Psal. LXXIX, 41)*.

41. Quid est quod dicitur comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans ?

Significat omnes nationes, vel interfectas ab eis, vel tributo et servitute subjugatas.

42. Quid est quod dicit : *Et habebat cornua decem (Dan. vii, 7) ?*

Quia alii ponunt quatuor successores Alexandri, et deinde usque ad Antiochum cognomento Epiphanem, decem reges enumerant, qui fuerant sævissimi. Sed melius credendum est, quod omnes magistri ecclesiastici tradiderunt. In consummatione mundi quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges qui orbem Romanorum inter se dividant, et undecimum surrecturum esse parvulum regem, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum regem, et Africę et Æthiopię ; quibus interfectis, etiam septem alii reges victori colla submittent. Illud autem dicit : *Oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto (Dan. vii, 8)*, ne eum putemus, juxta quorundam opinionem, vel diabolus esse vel

dæmonem, sed unum de hominibus, in quo totus Sathanas habiturus est ; et *os loquens ingentia*, ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.

43. Quid est quod dicit : *Aspiciebam donec throni positi sunt, et antiquus dierum sedet (Ibid. 9) ?*

Throni quos vidit Danihel, hii mihi videntur esse quos Johannes xxiv thronos nuncupat. Vetustus autem dierum ille est, qui apud Johannem solus in throno sedet ; Filius quoque hominis qui venit ad vetustum dierum, ipse est qui apud Johannem leo dicitur *de tribu Juda radix David (Apoc. v, 5)*.

44. Quid est *judicium sedet et libri aperti sunt (Dan. vii, 10) ?*

Conscientię et opera singulorum in utraque parte vel bona vel mala omnia revelantur. Bonus liber ille est, quem sæpe legimus, liber viventium ; malus liber, qualis est qui in accusatoris tenetur manu, qui est inimicus et vindex de quo et in Apocalypsi legimus : *Accusator fratrum nostrorum (Apoc. xii, 10)*, liber iste terrenus est.

45. Quid est : *Et vidi quoniam interfecta esset bestia, et perisset corpus ejus, et traditum esset ad comburendum igni, aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, et tempora vitę constituta essent eis usque ad tempus et tempora (Dan. vii, 11) ?*

In uno Romano imperio propter Antichristum blasphemantem, omnia simul regna deleta sunt, et nequam terrenum imperium erit, sed sanctorum conversatio et adventus filii Dei triumphantis.

46. Quid est quod dicit : *Et tradentur in manus ejus usque ad tempus et tempora et dimidium temporis (Dan. vii, 25) ?*

In his temporibus sancti potestati Antichristi permittendi sunt, ut condemnentur Judæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium. De his temporibus Dominus in Evangelio loquitur : *Nisi abbreviati essent dies illi, nequaquam salva esset ulla caro (Math. xxiv, 22)*.

Ego Danihel multum cogitationibus meis conturbabar et facies mea immutata est in me, verbum autem in corde meo conservavi (Dan. vii, 28).

Hactenus liber Danihelis Chaldaico sermone conscriptus est : cætera quę secuntur usque ad finem voluminis, hebraice legimus.

47. Susis autem metropolis est regionis Elamitarum. Si castrum, quomodo metropolis (*Dan. viii, 2*) ?

Non quod castrum sit urbs metropolis, sed quod tanta firmitate ædificata sit, ut castrum esse videatur.

48. Quid est quod legitur : *Vidi autem in visione esse me super portam Ulai : quid est Ulai (Ibid.) ?*

Sciendum est autem Ulai esse nomen loci sive portę, ut in Troia Scęa porta, et apud Romanos Carmentalis dicitur, habentes singulę ex propriis causis origines nominum.

49. Quid est quod dicit : *Et ecce aries unus stabat ante paludem, sive ante portam, habens cornua excelsa, et unum excelsius altero atque succrescens (Ibid. 3) ?*

Arietem Barium vocat, avunculum Cyri, qui post

Astyagen avum maternum, cum avunculo Dario quem Græci Cyaxaren vocant, Medis imperavit et Persis.

50. Quid est quod dicit: *Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra orientem et contra aquilonem et contra meridiem (Dan. viii, 4)?*

Non ipsum arietem Cyrum videlicet vel Darium, sed ejusdem regni arietem, id est Darium alterum, qui ultimus potentix Persicæ rex fuit, et quem superavit Alexander Philippi filius rex Macedonum. Quod autem Darius iste rex potentissimus et ditissimus fuerit, tam Græcæ quam Latinæ narrant historiae.

51. *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ; et non tangebatur terram. Porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos, et venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam; et cucurrit ad eum impetu fortitudinis suæ. Cumque appropinquasset prope arietem, comminuit duo cornua ejus, et non poterat aries resistere ei. Cumque eum misisset in terram, conculcavit eum, et nemo quibat liberare eum de manu ejus. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis, cumque crevisset, factum est cornu magnum, et orta sunt cornua quatuor subter illud per quatuor ventos cæli. De uno autem ex eis ortum est cornu unum mollicum et factum est grande (Ibid. 5).*

Hircus caprarum qui veniebat ab occidente, et propter nimiam velocitatem terram tangere non videbatur, Alexander est rex Græcorum, qui subversis Thebis in Persis, arma corripuit, Darii duces superavit, et ad extremum ipsum percussit arietem, et duo ejus confregit cornua, Medos atque Persas, misitque eum sub pedibus suis, et utrumque cornu suo jugavit imperio. Cornu autem grande, ipse est rex primus Alexander; quo tricesimo secundo anno ætatis suæ mortuo in Babylone, surrexerunt pro eo quatuor duces ejus, qui sibi imperium dividerunt. Ægyptum Ptolomeus Lagi filius tenuit; Macedonia Philippus qui et Aridcus frater Alexandri; Syriam et Babylonem et omnia regna Orientis Seleucus Nicanor; Asiæ regnavit Antigonus.

52. Quid est quod dicit: *Et usque ad principem fortitudinis magnificatus est (Ibid. 11).*

Hoc dictum est de Epiphane filio Seleuci, qui et Philopater appellatus est, quia erectus sit contra Deum, et sanctos illius persecutus, et tulerit jure sacrificium, et peccatum desolationis quæ facta est, et sanctuarium et fortitudo conculcabitur. Unus angelus interrogat alterum angelum, usque ad quod tempus Dei judicio sub Antiocho rege Syriæ templum futurum sit desolatum, et simulacrum Jovis statuum in templo Dei. Posuit enim Antiochus statuam Jovis in templo Dei.

53. *Et dixit usque ad vesperam et mane, dies duo millia trecenti, et mundabitur sanctuarium (Ibid. 14).*

Centesimo quadagesimo tertio anno a Seleuco, qui primus regnavit in Syria post Alexandrum, ingressum legimus Antiochum Hierosolymam et uni-

A versa vastasse, reversumque anno tertio, in templo posuisse statuam Jovis; ab hoc tempore usque ad Judam Machabæum, per annos vastitatis Hierusalem et contaminationis templi, sex duo millia, trecentos dies et tres menses esse completos, post quos templum purgatum est.

54. Quid est quod dicit: *Et ecce stetit in conspectu meo quasi species viri (Ibid. 15)?*

Non enim viri sunt angeli, sed in specie virorum videntur, sicut Abraham ad quercum Mambre tres visi sunt viri, qui utique viri non erant, e quibus unus adoratur ut Dominus, unde et Salvator loquitur in Evangelio: *Abraham vidit diem meum, et letatus est (Joan. viii, 56).*

55. Quid est quod dicit: *Et audivi vocem viri inter Ulai, et clamavit, et ait: Gabrihel, fac intelligere istam visionem (Dan. viii, 16)?* quis ille est qui Gabrieli præcepit, ut Daniele faciat intelligere visionem?

Judæi Michaelém autumant.

56. Et cur vocatur Gabrihel, ut intelligere faciat, et non alius vocatur angelus?

Quia cum visio de præliis erat, regumque certaminibus, immo regnorum successionibus, dignum erat ut Gabrihel, qui præpositus est præliis, huic officio manciparetur.

57. Quare tempore quo erat Dominus nasciturus, ad Zachariam et ad Mariam Gabrihel missus est, et non alius angelus?

Quia, ut dictum est, præliis est præpositus, indicaturus bellum dæmonibus, et triumphaturus de mundo venit.

58. Illud quod ait Danihel: *Et ego Danihel langui et ægrotavi per dies (Dan. viii, 27).*

Hoc est illud quod in Genesi de Abraham legimus, quod postquam Deum audiverit loquentem sibi, terram et cinerem esse se dixerit (Gen. xviii, 27).

59. Quid est quod dicit: *Et stupebam ad visionem, et non erat qui interpretaretur (Dan. viii, 27).* Si non erat qui interpretaretur, quomodo supra interpretatus est angelus?

Sed quod dicit, hoc est reges audierat, et eorum nomina nesciebat; futura cognoverat, et quo tempore futura essent dubius fluctuabat.

60. *In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldaeorum (Dan. ix, 1).*

Hic est Darius, qui cum Cyro Chaldaeos Babyloniosque superavit. Ne putemus illum Darium, cujus secundo anno templum ædificatum est: quod Porphyrius suspicatus, ut annos Danihelis extendat; vel eum qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est. Addit ergo nomen patris, additque victoriam qua primus de semine Medorum subverterit regnum Chaldaeorum, ut auferat propter similitudinem nominis lectionis errorem.

61. Quid est quod cxx annos Dominus in Genesi hominibus posuit?

Quia qui tanto tempore, hoc est centum annis nolunt agere penitentiam, nequaquam expectat ut

xx alii complcantur. Sed infert ante quod postea fuerat comminatus.

62. Quid est quod dicit Danihel, *Maledictio et detestatio venit super nos, quæ scripta est in libro Moisi servi Dei (Dan. ix, 11)? in quo libro Moisi?*

In Deuteronomio maledictiones et benedictiones Dei legimus, quæ postea dictavit in monte Garizim et Hebal super justos et peccatores (*Deut. xxvii, 14*).

63. Quid est quod in Psalmo legimus: *Surrexit tanquam dormiens Dominus, tanquam potens et crapulatus a vino (Psal. lxxvii, 65)?*

Malitia nostra inebriat Deum, quæ, quando in nobis corripitur, vigilare dicitur, et de sua ebrietate consurgere, ut nos peccato ebrios evigilare faciat justitiæ. Quando propter peccata corripimur, vigilat super nos Deus, et visitat nos. Quando vero a Deo deserimur, et non judicamur, indigni sumus correptione Domini, tunc dicitur dormire.

64. Quid est quod dicit angelus Daniheli: *Tu ergo animadvertite sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, sciesque et intelliges ab exitu sermonis, ut respondeatur et ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem; hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ (Dan. ix, 23 et seq.)?*

Hæc et non frustra et absque inspiratione Dei angelum respondisse manifestum est: quæ observatio cautam atque sollicitam videtur expetere rationem, ut lector diligenter attendat, et causas divisionis inquirat, in eo quod angelus ait: *Ab exitu sermonis ut respondeatur et ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem (Ibid. 25).*

Non alios arbitramur quam principes, qui post hanc prophetiam et reversionem de Babylone, Judaico populo præfuerunt. Hoc est pontifices, quos christos ab eo quod unctos Scriptura cognominat, quorum princeps fuit Jesus filius Josedec sacerdos magnus, et qui fuerunt usque ad adventum Domini Salvatoris, hosque significat vaticinium prophætæ dicens: *Ab exitu sermonis ut respondeatur et ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem, hebdomades vii et hebdomades lx et duæ*; id est ut vii hebdomades et postea lxx quæ faciunt annos cccclxxxiii a Cyro numerentur: ac ne videamur procacem tantum ferre sententiam, et non probare quod dicimus, numeremus eos qui post Jesum filium Josedec usque ad adventum Salvatoris populo præfuerint Christi, id est uncti in pontificatu. Primus igitur, ut ante jam diximus, post Danihelis prophetiam quæ facta est sub Cyro rege, postquam de Babylone reversus est populus, Jesus filius Josedec fuit sacerdos magnus et Zorobabel filius Salathiel, qui templi fundamenta jecerunt, impeditoque opere a Samaritis et aliis in circuitu nationibus, septem hebdomadarum anni completi sunt, id est quadraginta novem quibus imperfectum opus templi fuit, et quas prophetia a reliquis sexaginta duobus hebdo-

madibus separat, denique et Judæi in Evangelio ex hac opinione loquuntur ad Dominum: *xi et sex annis ædificatum est templum, et tu tribus diebus suscitabis illud (Joan. ii, 20)*. Tot enim sunt anni a primo anno Cyri regis, qui libertatem dedit volentibus Judæis reverti in patriam, usque ad sextum annum Darii regis, sub quo templi opus omne completum est. Porro Josephus et alios tres annos addidit, in quibus peribulos templi et quædam alia quæ remanserant, perfecta sunt, qui additi xlvi annis faciunt annos xlix, id est septem annorum hebdomadas: reliquas autem lx duas hebdomadas ab ejusdem Darii septimo anno enumerant; quo tempore Jesus filius Josedec et Zorobabel jam majoris ætatis populo præerant, sub quibus prophetaverunt Aggæus et Zacharias. Post quos Esdras et Nehemias de Babylone venientes, muros urbis extruxerunt, tenente pontificatum Joachim filio Jesu cognomento Josedec; post quem successit in sacerdotio Elia sub, ac deinde Joiade, et postea Johannes, post quem Judas; cujus ætate Alexander rex Mæcedonum condidit Alexandriam, ut Josephus loquitur, venitque Hierosolymam, et in templo victimas immolavit. Mortuo autem Alexandro, centesima tertia decima Olympiade, anno ducentesimo trigesimo sexto regni Persarum, quod cœperat primo anno Olympiadis; quo tempore Cyrus rex Persarum Babylonios Chaldæosque superavit, et post mortem Judas sacerdotis, qui sub Alexandro templo præfuit, suscepit pontificatum Onias, quo tempore Seleucus, subjugata Babylone, diadema totius Asiæ capiti suo imposuit.

Anno duodecimo mortis Alexandri, in quod tempus supputantur omnes anni a Cyri imperio, cc quadraginta octo, ex qua ætate Scriptura Machabæorum regnum Græcorum enumerat. Post Oniam præfuit Judæis pontifex Eleazarus, quo tempore lxx interpretes Scripturas sanctas Alexandriæ in Græcum dicunt vertisse sermonem. Post quem alter Onias, cui successit Simon; quo regente populum, Jesus filius Sirach scripsit librum qui Græce Panareth appellatur. Cui successit in pontificatum alius Onias; quo tempore Antiochus Judæos diis gentium immobile cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit templum, et idolorum simulacra contrivit. Cui successit frater Jonathas, et post eum rexit populum Simon frater utriusque. In cujus morte cclxxvii regni Syriæ impletus et annus, et usque ad hoc tempus, Machabæorum primus liber historiam continet, supputanturque a primo anno Cyri regis Persarum usque ad finem primi Machabæorum voluminis, et mortem Simonis pontificis anni cccxxv. Post quem Johannes tenuit pontificatum annis xxix. Quo mortuo, Aristobolus uno anno præfuit populo: qui primus reversus de Babylone, diadema insigne regiæ potestatis cum honore pontificatus adsumpsit. Hujus successor fuit Alexander rex pariter et pontifex, qui rexit populum annis xxvii, et hæcenus a primo anno regis Cyri et captivorum reditu, qui in Judæam venire voluerunt, supputantur anni cccclxxxiii, quos vii et lx duæ hebdo-

mades, id est LXX simul efficiunt, et hoc omni tempore pontifices rexerunt populum Judæorum; quos ego nunc arbitror vocari christos duces. Mortuo autem novissimo eorum Alexandro, huc atque illuc in varias partes absque ullo duce gens Judæorum seditionibus vexabatur in tantum, ut Alexandra quæ et Salina vocabatur, ejusdem Alexandri uxor, obtineret imperium, et pontificatum quidem Hircano filio reserveret, Aristobolo autem alteri filio regnum traderet, quod obtinuit annis x. Pugnantis autem inter se intestina seditione germanis, et gentem Judæorum studia trahentibus, supervenit Gneus Pompeius dux Romani exercitus, captamque Hierosolimam usque ad adyta templi ingressus est, quæ vocabantur Sancta Sanctorum, vincitumque Aristobolum Romam misit, servans triumpho suo, et pontificatum Hircano tradidit fratri ejus. Tunc primum gens Judæorum Romanis facta est tributaria. Post quem Herodes filius Antipatri, interfecto Hircano, regnum Judæorum senatusconsulto accepit, et primus alienigena Judæis præfuit. Hæc ut nos potuimus exposuimus. Ponit et aliam Eusebius explanationem, quam si voluerimus in Latinum sermonem vertere, extendemus libri magnitudinem. Hæc est ergo interpretationis ejus sententia.

A sexto anno Darii, qui post Cyrum et Gambisem filium ejus regnavit in Persis, quando templi opera consummata sunt, usque ad Herodem et Cæsarem Augustum, numerat hebdomadas septem et LX duas, quæ faciunt annos CCCCLXXXIII, quando christus, id est Hircanus novissimus pontifex de genere Machabæorum ab Herode jugulatus est, et cessavit juxta legem pontificum Dei successio. Africanus in quinto temporum volumine de LXX hebdomadibus hæc locutus est: « Capitulum quod in Danihele de LXX hebdomadibus legimus multa et admirabilia continet, et quæ nunc longum est dicere. Ergo quod ad præsens opus pertinet, de temporibus disserendum est; nullique dubium quin de adventu Christi prædicatio sit, qui post LXX hebdomadas mundo apparuit, post quem consummata sunt delicta, et finem accepit peccatum, et deleta est iniquitas, et annuntiata justitia sempiterna, quæ legis justitiam vinceret et impleta est visio et prophetia, quia lex et propheta usque ad Johannem Baptistam.

« Dicit autem ipse angelus LXX annorum hebdomadas, id est annos ccccxc ab exitu sermonis, ut respondeatur et ut ædificetur Jerusalem vicesimum Artaxerxis regis Persarum annum habere principium. Neemias quippe hujus pincerna; sicut in Esdræ libro legimus, rogavit regem, accepitque responsum ut ædificaretur Hierusalem; et iste egressus est sermo, qui extruendæ urbis et circumdandæ muris daret licentiam, quæ usque ad illud tempus vicinarum gentium patebat incursibus. Siquidem ad Cyri regis imperium, qui volentibus reverti Hierosolimam dederat potestatem, Jesus pontifex et Zorobabel et postea Esdras sacerdos et cæteri, qui cum eis proficisci voluerant, templum et urbem et muros ejus ædifi-

A care conati sunt prohibentibus in circuitu nationibus ne impleretur opus, quasi hoc rex non jussisset. Mansit itaque imperfectum opus usque ad Nehe- miam, et vicesimum annum regis Artaxerxis: quo tempore regni Persarum centum et xv anni fuerant obvoluti, captivitatis autem Hierusalem cxxx et v annus erat, et tunc primum Artaxerxes jussit muros extrui Hierusalem: cui operi præfuit Neemias, et ædificata est platea, et muri circumdati; et ex illo tempore si numerare velis LXX annorum hebdomadas usque ad Christum, poteris invenire; quod si ha- rum principium ab illo tempore voluerimus sumere, et tempora non concurrent, et multa reperiemus contraria. Nam si a Cyro et prima ejus indulgentia, qua Judæorum est laxata captivitas, LXX numerentur hebdomades, centum et eo amplius inveniemus annos, qui statutum hebdomadarum excedunt numerum et multo plus, si ex qua die Daniheli locutus est angelus, addeturque amplior numerus, si captivitatis exordium volueris hebdomadarum habere principium. Permansit enim regnum Persarum usque ad initium Macedonum annis ducentis triginta, et ipsi Macedones regnaverunt annis ccc atque exinde usque ad annum xv Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni LX, qui simul faciunt annos dxc, ita ut centum supersint anni. A vicesimo autem anno Artaxerxis regis, usque ad Christum, complentur hebdomades LXX juxta lunarem Hebræorum subputationem, qui menses non juxta solis, sed juxta lunæ cursum numerant. Nam a centesimo et quinto decimo anno regni Persarum, quando Artaxerxes ejusdem imperii vicesimum regni sui habebat annum, et erat octuagesimæ et tertiæ Olympiadis annus quartus, usque ad ducesimam secundam Olympiadem, et secundum ejusdem Olympiadis annum Tiberiique Cæsaris annum quintum decimum colliguntur anni CCCCLXXV, qui faciunt annos Hebraicos ccccxc, juxta lunares, ut diximus, menses, qui secundum illorum supputationem possunt facere per singulos menses dies xxix semis, ita ut solis circulus per annos ccccxc plus habeat dies ccclxv et quartam diei partem, et per duodecim menses singulorum annorum xi dies, et quarta diei pars amplius reperiantur, unde Græci et Judæi pro octo annis trium mensium embolismis faciunt. Si enim octies undecim et quartam partem volueris supputare, xc dies, hoc est tres menses efficies, et in CCCCLXXV annis octonarii reperientur anni LIX et menses tres, qui simul faciunt plus minusve annos xv, qui si CCCCLXXV annis volueris addere LXX, annorum facies hebdomadas, hoc est simul annos ccccxc. » Hæc Africanus iisdem verbis quæ expressimus locutus est.

65. Quid est quod dicit: *Confirmavit autem pactum multis hebdomadas una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium (Dan. ix, 27)?*

Sic interpretatur Eusebius, quod, Herode regnante apud Judæos, et Augusto apud Romanos, Christus natus sit, qui tribus annis et sex mensibus juxta evangelistam Johannem, Evangelium prædicavit, et

confirmavit Dei cultum : multis haud dubium, qui in apostolis et credentibus quando post passionem Domini in dimidia rursum hebdomade defecit hostia et sacrificium. Plerique unam hebdomadem annorum in LXX annos extendunt, ut ait Eusebius, et per singulos hebdomadis annos decennio supputato et volunt a passione Christi usque ad Neronis imperium annos esse xxxv quando contra Judæos Romana primum arma commota sunt, et hanc esse dimidiam hebdomadem annorum LXX. Postea vero a Vespasiano et Tito et deinceps quando Hierosolyma templumque succensum est, usque ad Trajanum, alios esse annos xxxv et hanc esse hebdomadem, de qua angelus loquitur Daniheli.

66. Quid est quod dicit : *Intellige et conjice a prophetatione sermonis respondere me tibi?*

Hoc et a primo anno Darii debemus computare, quando hanc vidit visionem Danihel. Videamus anni quomodo impleantur usque ad adventum Christi. Darius regnavit annis xix, Artaxerxes xl, Ochus qui et Cyrus annis xiv, Argus anno i, alius Darius qui et Melas annis xx, Alexander Macedo annis x. Post eum regnavit in Alexandria Soter annis xxxv, cui successit Philadelphus regnans annis xxxviii. Post hunc Eulptech annis xxv. Deinde Philopater annis xvii. Post hunc Epiphanes annis xxiv. Item alius Eupsetet annis xxvii, Soter annis xxxviii, Ptolomeus annis xxxvii. Cleopatra annis xx, mensibus v. Item, Cleopatra regnavit cum Augusto annis xiiii. Post Cleopatram Augustus aliis annis xliii, nam omnes anni imperii Augusti fuerunt lvi. In quadragesimo enim et primo anno imperii Augusti qui post mortem Cleopatrx imperavit, nascitur Christus, et supervixit idem Augustus ex quo natus est Christus, annis xv. Et erunt reliqua tempora annorum in diem nati-
vitatibus Christi, in annum quadragesimum primum Augusti, anni ccccxxxvii menses v. Unde adimplentur lxii hebdomades et dimidia, quæ efficiunt annos ccccxxxvii menses sex; et manifestata est justitia æterna, et unctus est sanctus sanctorum, id est Christus. Quidam autem, qui dicunt signari visum [*Forte, Jesum*] et prophetiam, quoniam omnes prophete nuntiabant de ipso, quod esset venturus et pati haberet, igitur quoniam adimpleta est propheta per adventum ejus, propterea signari jussionem et prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophete nuntiaverunt.

A 67. Quid est quod ait : *Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Daniheli cognomento Baltasar (Dan. x, 1), cum in fine primæ visionis legamus : Fuit autem Danihel usque ad annum primum Cyri regis (Dan. i, 21), usque ad primum ejus annum fuit?*

Fuisse ergo eum apud Chaldæos pristina dignitate, purpura, byssoque vestitum usque ad primum annum Cyri regis intelligimus, quando subvertit Chaldæos, et postea cœpit esse cum Dario filio Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum. Aut certe jam Dario mortuo, cujus anno primo septuaginta hebdomadarum sacramenta cognoverat, nunc tertio anno regis Cyri hæc vidisse narratur.

B 68. Quid est quod dicit : *Et ego ab anno primo Darii Medi stabam, ut confortaretur et roboraretur (Dan. xi, 1)?*

Stabam, inquit, in conspectu Dei, et rogabam ejus clementiam, pro eo qui me diligebat, ut confortaretur vel ipse vel regnum ejus, et roboraretur, qui ob custodiam meam etiam lacum leonum suo signavit annulo, ne me adversarii interficerent. Alexander autem condita Alexandria, cum triginta et duos ætatis haberet annos, et duodecimum annum imperii in Babylone, veneno periit.

C 69. Quid est quod dicunt, et post annos illius commiscetur, *Filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, et non obtinebit fortitudines brachii, nec stabit semen ejus, et tradetur ipsa, et qui adduxerunt eam juvenes ejus, et qui confortabant eam in temporibus (Ibid. 6)?*

Hoc est quod nunc dicitur : per multos annos Ptolomeus Philadelphus et Antiochus qui vocabatur *Theos*, id est Deus, facient amicitias, et filia regis Austri, hoc est Ptolomei, veniet ad regem Aquilonis, id est Antiochum, ut inter patrem ac virum jungat amicitias, et non poterit, inquit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ, sed et ipsa Berenice et qui eam adduxerint interficientur. Rex quoque Antiochus, qui confortabat eum, id est per quem poterat prævalere, veneno uxoris occisus est. Laudicen enim prior illius uxor eum per ministros veneno interfecit, quia dicebat rex Berenicen consortem regni, et hanc concubinam.

Explicit.